

## Cicero, pro Sexto Roscio

Klausurentext Hamburg 23.03.2011

[39] Patrem occidit Sex. Roscius. Qui homo? Adulescentulus corruptus et ab hominibus nequam inductus? (...) Vetus videlicet sicarius, homo audax et saepe in caede versatus. At hoc ab accusatore ne dici quidem audistis. **Luxuria** igitur hominem nimirum et aeris alieni magnitudo et indomitae animi cupiditates ad hoc scelus impulerunt. De luxuria purgavit Erucius, cum dixit hunc ne in convivio quidem ullo fere interfuisse. (...) Cupiditates porro quae possunt esse in eo, qui, ut ipse accusator obiecit, ruri semper habitaverit (...) ? **Quae vita** maxime disiuncta a cupiditate et cum officio coniuncta est.

[50] Ne tu, Eruci, accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses cum ab aratro arcescebantur, qui consules fierent. (...) Maiores nostri **longe aliter** et de illo et de ceteris talibus viris existimabant itaque ex minima tenuissimaque re publica maximam et florentissimam nobis reliquerunt. Suos enim agros studiose colebant, non alienos cupide appetebant; quibus rebus et agris et urbibus et nationibus rem publicam atque hoc imperium et populi Romani nomen auxerunt.

[51] (...) cum apud **maiores nostros** summi viri clarissimique homines (...) in agris quoque colendis aliquantum operae temporisque consumpserint, ignosci **oportet** ei homini, qui se fateatur esse rusticum.

181 Wörter

**in Rot: geänderte Formen**

**oportet : im Original oportere innerhalb des Satzes : ut illud intellegatur oportere**

**in Grün : semantisch/stilistisch unschöne Anschlüsse**